

**Ex Homíliis sancti Bernárdi abbátis  
IN LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS**

*(Hom. 4, 8-9: Opera omnia, Edit. Cisterc. 4 [1966], 53-54)*

Audísti, Virgo, quia concípies et páries fílium: audísti quod non per hóminem, sed per Spíritum Sanctum. Exspéctat Angelus respónsum: tempus est enim ut revertátur ad Deum qui misit illum. Exspectámus et nos, o Dómina, verbum miseratiónis, quos miserabíliter premit senténtia damnatiónis.

Et ecce offértur tibi prétium salutis nostræ: statim liberábimur, si conséntis. In sempitérno Dei Verbo facti sumus omnes et ecce mórimum: in tuo brevi respónso sumus reficiéndi, ut ad vitam revocémur.

Hoc súppliat a te, o pia Virgo, flébilis Adam cum mísera sóbole sua exsul de paradíso, hoc Abraham, hoc David. Hoc céteri flágitant sancti patres, patres scílicet tui, qui et ipsi hábitant in regióne umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis génibus provolútus exspéctat.

Nec immérito, quando ex ore tuo pendet consolátio miserórum, redémptio captivórum, liberátio damnatórum, salus dénique universórum filiórum Adam, totíus géneris tui.

Da, Virgo, respónsum festinánter. Respónde cítius Angelo, immo per Angelum Dómino. Respónde verbum, et súscipe Verbum: profer tuum, et cóncipe divínium: emítte transitórium, et ampléctere sempitérnum.

Quid tardas? quid trépidas? Crede, confitére, et súscipe. Sumat humílitas audáciam, verecúndia fidúciam. Nullátenus cónvenit nunc, ut virginális simplicitas obliviscátur prudéntiam. In hac sola re ne tímeas, prudens Virgo, præsumptiόνem: quia, etsi grata in siléntio verecúndia, magis tamen nunc in verbo píetas necessária.

Aperi, Virgo beáta, cor fidei, lábia confessiáni, víscera Creatóri. Ecce desiderátus cunctis géntibus foris pulsat ad óstium. O si te moránte pertransíerit et rursus incípias dolens quærere quem díligit ánima tua! Surge, curre, áperi. Surge per fidem, curre per devotiόνem, áperi per confessiόνem. *Ecce, inquit, ancilla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.*